

h *Secundo inteso aut tertio remisso* Dod. i *Trag. Lonic.* k *Matthiol.* cum tota gustu calidiusculo sit, secundo ordine calefacere & siccare<sup>h</sup> censemus. Semē tamē feruentius existit, quare voluerunt aliqui<sup>i</sup> rectius exterius adhiberi, quàm intrinsecus exhiberi: omnia, quæ Nasturtium posse, sed minori efficacia Fuchs. scribit. Calefacit, aperit, k incidit, digerit, prouocat, crassos humores extenuat, lentosque incidit.

a *Dodon.* Vsvs. Etsi in Medicina vsum nullum cognitum habuerit, a aliqui attamē, & in culinis vsum inuenit, & remediis tam internis, quàm externis vtiliter adhibetur.

b *Dodon.* Martio enim & Aprili, folia<sup>b</sup> recentia ad condimenta, intinctus & salsamenta adhibentur, & pro Allio substituuntur. Foliis<sup>b</sup> contusis cum piscibus salitis nonnulli pro condimentis vescuntur.

c *Tragus.* Alij<sup>c</sup> embammatis iungunt, aceto, sale, & zinzibere condita: hæc enim non sunt nimium feruentia, & vtiliora iis, quæ ex sinapi fiunt: quare & Angliæ<sup>d</sup> mulierculæ folia succulentata, salsamentis frequenter miscent, ad incolunitatem annuam tuendam, primo Vere commendantes. In Medicina<sup>e</sup> facultates tribuuntur, quæ & Nasturtio & sinapi: Multò tamen mitior, & vsus commodior existit: Alij<sup>d</sup> ad Erysimum aut Erucam facultate referre volunt.

f *Game-rar. ad Matthiol.* g *Taberne-mont. 2. parte.* Herba decoctum Asthmaticis vtile, siue solum, vel in aqua<sup>f</sup> & oleo decoctum, & epotum.

Seminis vsus esse potest, ad g humores crassos in pectore incidendos, quare tussientibus com-